




3.

LAUDATIO

PHILIPPI MELANCHTHONIS

ORATIO

QUAM

AD MEMORIAM MELANCHTHONIS ANTE TRECENTOS ANNOS MORTUI CELEBRANDAM

HABUIT

HENRICUS KEIL
PHILOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

ERLANGAE 1860
SUMPTIBUS T. BLAESING.



Typis Junge et filii. Erlangae.

Prorector magnifice, Procancellarie perillustris, Professores Doctores Collegae omnium ordinum summe reverendi consultissimi experientissimi amplissimi, Commilitones humanissimi, Auditores ornatissimi.

Quamquam laudes virorum in aliquo genere rerum publicarum vel litterarum praestantium, quibus celebrandis nostra aetas magno opere delectatur, in memoria rerum praesentium vel nuper actarum versari solent, tamen huius diei celebrationem, quae ad res longius remotas animos nostros avocare nos iubeat, non puto mea commendatione apud vos egere. Nam redeunte eo die, quo trecentis abhinc annis Philippus Melanchthon mortuus est, memoriam viri praeclarissimi ita per universam patriam excitari vidistis, ut in communi hominum pietate propriam partem suo iure haec sibi vindicet academia. Et quoniam ille non magis institutis et praeceptis ecclesiae quam studiis litterarum emendatis de rebus nostris bene meruit, quorum alterum magnae populi parti salutem attulit, alterum communi consensu omnium probatum est, Christianae fidei sacra non videbantur nisi in sacra aede recte coli posse, sicut nuper fecimus. Nunc hic dies liberalium artium praedicationem expetit, ut summi praeceptoris recordatione erecti bonis auspiciis novum studiorum nostrorum cursum ingrediamur. Nam de hac parte ut mihi dicendum esse existimem, non solum honorificentissimum mandatum postulat senatus aca-

demici, qui ab amplissimo philosophorum ordine interpretem suae pietatis constitui voluit, verum etiam gravissimus auctor monet, ipse Melanchthon, qui ea oratione, qua suscepto munere professoris de corrigendis studiis adulescentiae graviter et ornate dixit, plane indicasse mihi videtur materiam, a qua suae laudis argumentum duci apud posteros in academica certe oratione vellet. Sed ut rem dignam esse video, quae hoc die et hoc loco, in hoc consessu virorum litteratissimorum, in hac corona adulescentium omni generi litterarum deditorum explicetur, ita me nec rerum scientia nec oratoria facultate parem tantae rei laudatorem esse sentio. Verum tamen senatui et ordini nostro dicto audiens esse malui, quam aut vestrae diffidere voluntati aut meo labori parcere, praesertim in eo viro laudando, quem nulli umquam labori pepercisse scirem ad illud litterarum genus in quo ipse versor vel laudandum vel adiuvandum. Neque enim vereor ne quis meam me causam agere arbitretur aut tenui argumento dignitatem rei me minuere dicat, cum Graecarum et Romanarum litterarum studiis hanc laudem, quae mihi in Melanchthone praedicanda est, tribuendam esse contendo. Tam aperte enim ipse quid de his litteris sentiret ea oratione quam dixi professus est, ut illius potius consilio duci quam meas rationes sequi debeam. Ergo in hunc campum non invitatur, sed cogitur oratio mea, ut aucto humanitatis studio omnem doctrinam et academicam institutionem a Melanchthone emendatam esse ostendam.

Atque ut inde proficiscatur oratio, unde ipsius Melanchthonis studia profecta sunt, de litteris recte tractandis illis temporibus acerrima erat hominum dissensio, quam studiis antiquitatis primum excitatam esse con-

stat. Non ita multi quidem initio apud maiores nostros extiterunt qui ad hoc studium se conferrent, iique, si paucos exceperis, neque eruditione neque elegantia laudem Italorum, quos imitabantur, adsecuti sunt. Sed sano iudicio praediti veterum scriptorum libris certissimum praesidium ad iuventutem bene instituendam paratum esse intellexerunt et, quae fuit religiosissimorum hominum diligentia ac modestia singularis, ad hanc unam rem omni studio incubuerunt. Nullis praemiis vel honoribus invitati elementa doctrinae emendare, teneros puerorum animos certa cogitandi scribendique norma proposita regere et bonorum scriptorum lectione ad humanitatem informare conabantur. Ita scholae quaedam primum in inferiore Germania, mox etiam in non nullis urbibus superioris Germaniae institutae sunt, quibus firma liberalium artium sedes non in breve tempus, sed in omnem posteritatem duratura munita erat.

Horum virorum studiis summa pertinacia se opposuerunt universitates litterarum, in quibus tunc disciplina scholasticorum regnabat, non illa antiqua, quae acumine sententiarum et subtilitate disserendi admirabilis fuit, sed forma quaedam disputandi longo imitatorum usu depravata. Non solum philosophorum inventa argutis disputationibus inplicata tenebantur, sed etiam Christianae doctrinae praecepta iisdem artibus inpedita erant, ita ut res natura simplices longis disputationibus perturbatae et ingenti commentariorum mole obrutae traderentur. Eademque erat ratio iureconsultorum, qui soli fere praeter theologos docti haberi solebant. Nam hi quoque simplici et genuina antiquitatis doctrina neglecta solam commentatorum auctoritatem amplectebantur. Nihil dico de reliquis artibus, de quibus quaecumque praecipieban-

tur prorsus ab iis pendebant, quae aliquot saeculis ante viri quidam praestanti ingenio Aristotelis doctrinam secuti commentati erant. Nimirum id tum omnino homines sequebantur tam in institutis sacris et civilibus quam in studiis litterarum ad rationem ecclesiae accommodatis, ut auctoritatem rerum traditarum suspicerent suoque ingenio diffisi ea quae a maioribus excogitata erant solitis artibus probarent. Tam severae autem dominationis vinculis cum omnis rerum divinarum et humanarum scientia constricta esset, mirum non est nova litterarum studia vehementer displicuisse hominibus veteri disciplinae deditis; qui sibi soli gravitatem doctrinae tueri videbantur, istos inauditae cuiusdam elegantiae studiosos despiciebant, poetas vel Graeculos vulgo contumeliose vocabant, pestem ac perniciem litterarum esse clamitabant, a sanctis vero litterarum sedibus incorruptis scilicet et more maiorum munitis istam vel levitatem vel inpietatem omnino arcendam esse existimabant. Itaque nec Rudolphus Agricola, a quo primum antiquarum litterarum studia ex Italia ad Germanos translata sunt, in Heidelbergensem universitatem vocatus quicquam effecit contra inveteratam disciplinam, et quicumque postea eandem rationem secuti publice litteras docere in universitatibus instituerunt vel per vim vel per insidias pulsi sunt. Maxime autem controversia per aliquot annos agitata adparuit, cum contra Ioannem Reuchlinum, quem una cum Desiderio Erasmo fortissimum propugnatorem ingenuarum litterarum in Germania fuisse constat, illud certamen theologorum Coloniensium exardescebat. In quo certamine cum ab utraque parte acerrime pugnaretur, neque quisquam qui laudem doctrinae petebat non alterutram partem sequeretur, primum certae factiones con-

stitutae sunt, quarum altera vetus studiorum genus diuturno usu sancitum et per omnes universitates propagatum tuebatur, altera novam rationem studiis Graecarum et Romanarum litterarum modo excitatam et vix in paucis scholis efflorescentem defendebat.

In hac igitur studiorum contentione Melanchthoni quid sequeretur natura praescripserat. Generis enim cognatione coniunctus erat cum Reuchlino. Qui cum egregiam indolem pueri bonae spei plenam perspexisset, patre mortuo eius educationem suscepit et non solum bonis praeceptoribus constitutis et Graecis libris paratis eius utilitati optime consuluit, sed etiam tanta sui admiratione atque amore animum omnis laudis cupidum inplevit, ut et tunc hoc exemplum sibi sequendum proponeret et postea huic se omnia debere grato animo profiteretur. Quo factum est ut in universitate Heidelbergensi (nam eam primum adierat, quoniam vicina erat patriae urbi) de eruditione pueri et eximia Graecae linguae scientia, qua pollebat, magna esset omnium existimatio. Mox vero, cum puero quattuordecim annorum summos in philosophia honores concedere iniquius videretur doctis hominibus, iratus Tubingam se contulit. Ubi et tristes scholasticorum contentiones acriter in illa universitate exercitatas accuratius cognovit et antiquitatis studia, quae tum maxime ibi radices agere coeperant, penitus adamavit. Neque tamen linguarum scientiam quamvis perfectam sufficere ei qui excellentius se gerere in litteris vellet intellexit, sed rerum plurimarum cognitione ad perficiendam humanitatem opus esse vidit. Et cum neque certis finibus descripta essent genera litterarum, neque sua cuique disciplinae constituta esset ratio, sicut hodie magno cum fructu factum est, Melanchthon per

latissimum litterarum campum vagatus omne genus eruditionis, cuius copiam sibi factam esse videbat, cupide expetivit brevique tempore universam doctrinam, qua illa aetas gaudebat, animo conplexus est. Sedem autem et domicilium studiorum in Graeca Romanaque antiquitate conlocaverat, ad quam cognoscendam ita laborem suum tamquam ad fontem omnis sapientiae revocabat, ut fructuosa rerum ubertate animum generosum aleret, non perturbaret varietate molesta. Itaque et veteres scriptores continuo vel solus vel cum amicis legebat et ab his in eadem universitate initium docendi fecit. Praecipue vero studio Graecae linguae, cuius in paucis peritus erat, excitato animos adulescentium inflammavit. Ea res cum statim intellegeretur quantam vim habitura esset ad theologiam et philosophiam quae tum erat mutandam, fieri non potuit quin alii laudibus efferrent, alii invidia persequerentur adulescentem rem periculosissimam parantem.

Sed neque in his regionibus tantae res perfici poterant, neque his tantum studiis, in quibus tum habitabat Melanchthon, illa divina ingenii vis destinata erat. Nam paucis annis post a Friderico Saxoniae principe auctore Reuchlino Vitebergam vocatus est, ut Graecas litteras in nova universitate doceret. Erat ea urbs tunc vehementer commota emendatione rerum sacrarum a Martino Luthero fortiter suscepta, eaque studia ita omnium animos occupaverant, ut quicumque in hoc coetu hominum viveret ad ea necessario raperetur. Melanchthon autem, qui facile intellegeret, quae esset eorum quae Lutherus moliebatur cum suis studiis coniunctio et necessitudo, ubi primum in illam urbem venit, mirandum in modum incredibili ardore et robore talis viri movebatur. Nec

minus Lutherus in illo copiam doctrinae, morum elegantiam, ingenii aciem diligebat. Sic nata est mutua utriusque viri admiratio, ex admiratione amor, ex amore amicitia illa atque familiaritas, quam plane divino consilio constitutam esse ad rem ab utroque susceptam recte instituendam et feliciter perficiendam iure existimabimus. Sed quantum illud ad Lutherum adiuvandum valuerit non meum est uberius persequi: illud dicam, Melanchthonem hac Lutheri amicitia plane quid sibi propositum esset perspexisse. Nam cum reliqui, qui illo tempore antiquarum litterarum studiosi erant, per exiguum fere tempus illos qui sacris rebus emendandis operam dabant studiose sequerentur, mox, quia vel minus digna haec suis studiis vel etiam infesta esse putabant, eam societatem omitterent, Melanchthon tantam tamque adsiduam operam in sacra doctrina conlocavit, ut iis quae in hoc genere praestitit iam fere obscurentur praeclara de studiis humanitatis merita. Et profecto de gloria eruditionis, quam ille pro virtute ingenii non minorem in liberalibus artibus nancisci poterat, quam nactus est in theologia, haec rerum sacrarum cura detraxit plurimum, sed eadem ad communem usum vitae summam ei paravit auctoritatem. Nam haec est rerum humanarum lex et vitae publicae ratio, ut qui hominum studia contemnat, sua admiretur, ne summa quidem ingenii vi et doctrinae copia quicquam efficiat, vitae quidem hominum consulere non possit nisi qui ita eorum studia sequatur, ut sui ingenii praestantia ea ducat et corrigat. Atqui sacris rebus tunc omnis ratio rei publicae continebatur. Hac cura igitur suscepta et cum studiis humanitatis coniuncta ut propriam laudem adsecutus est Melanchthon, ita quidquid in utroque genere effecit ab hac societate profectum esse dicimus.

Nam quia olim barbarie Scotistarum quam dicit introducta et studia litterarum et ritus atque doctrina ecclesiae corrupta essent, unam utrique rei salutem quaerendam esse videbat. Quidquid a Graecis et Romanis vel ad animum excolendum vel ad ingenium acuendum excogitatum esset adsciscendum esse, ut errores hominum tam in sacris rebus quam in studiis litterarum propagati tollerentur, integram et incorruptam formam doctrinae Christianae stare non posse nisi cultu literarum restituto, eandem non posse corrumpi, ut non eadem contaminatae labe litterae pessumdarentur. Mirum est, quam perspicue haec, quae per totam vitam secutus est, vix viginti et unum annos natus, tum cum munus Vitebergense inibat, exposuerit. Erat enim ei singulari naturae beneficio et educationis bonitate tributum ut facultates animi maturo ad perfectionem adduceret.

Habetis a quibus principiis profectus sit Melanchthon in studiis iuventutis emendandis: nunc quibus rebus id quod sibi proposuerat perfecerit considerate. Tribus autem artibus, grammatica dialectica rhetorica, tum ex more antiquitus tradito prima iuventutis studia continebantur. Quod institutum tenuit quidem Melanchthon, sed ita tenuit, ut novis libris, qui ad illas artes docendas melius accommodati essent, conpositis viam ac rationem docendi mutaret. Et in grammatica quidem institutione utebantur tum libris quibusdam trecentis fere annis ante scriptis, quibus non vetus Romanorum sermo docebatur (nam Graeca quidem prorsus ignorabant); sed eius ipsius aetatis consuetudinem a pristina et genuina Latinitate longe alienam sectabantur. Nimirum a sanctitate ecclesiae, quae illa barbarie delectabatur, hoc dicendi genus non solum excusationem verum etiam commen-

dationem habebat. Huius modi libri cum postea argutis et pro captu eius aetatis doctis commentariis expositi essent, maximeque in ea parte, in qua olim laudabiliter elaboraverant, syntacticam dico, inutilis scholasticorum subtilitas in dies grassaretur, et cum ii qui ne unum quidem veterem scriptorem legissent grammaticam artem docerent, his igitur instrumentis doctrinae paratis facile intellegitur quibus molestiis Latini sermonis institutio inpedita fuerit. Quid? quod initia artis tam longis tamque ineptis argutiis obstricta erant, ut in declinationibus nominum et verborum discendis pueros decem per annos teneri ac ne tam inmenso quidem labore rem perdiscere Lutherus quereretur. Huic pesti in primis obsistendum esse ratus Melanchthon, qui grammaticam artem nutricem esse omnium artium intellegeret, ad eam emendandam vix e pueris egressus operam adhibuit. Itaque illis argutiis abiectis, usu dicendi in veteribus scriptoribus diligenter observato et legibus artis ab antiquorum grammaticorum doctrina petitis, utilitate autem discentium bene perspecta et Graecam et Latinam grammaticam conposuit. Quibus libris cum artem ad genuinum puri sermonis fontem revocaret et animos discentium saluberrima regularum disciplina regeret, dici nequit quanto opere cognitionem utriusque linguae et scriptorum intellectum adiuverit. Nam ita cum lectione scriptorum artem copulavit, ut his relegendis exponendis ediscendis regulas bene cognitas firmari iuberet. Sed Graecum sermonem origine vocabulorum et usu scriptorum bene cognito disci satis esse putabat. Latina grammatica, quia hoc solo sermone tum communiter docti homines utebantur, certam loquendi et scribendi rationem tradi volebat. Nam propriam et simplicem orationis for-

mam in primis decere hominem eruditum existimabat. Illud etiam vidit, ad acuendum ingenium plurimum valere Latine scribendi exercitationem, et Ciceronem secutus, qui stilum optimum dicendi effectorem esse praedicat, adsiduo scribendi usu pueros et adulescentes exerceri atque ad hunc finem omnem disciplinam dirigi iussit.

Ad grammaticam artem ex instituto tum discendi more proxime accedebat dialectica. Quam artem ipsam quoque Melanchthon per se omnino necessariam esse iudicabat, quoniam legibus definiendi dividendi argumentandi traditis iudicia hominum regeret; sed eandem tum quidem prorsus abiectam non artem, sed umbram artis infinitis erroribus inpeditam esse existimabat. Voluit autem eam, ut suae integritati redderetur et ad usum iuventutis accommodaretur, cum rhetorica arte coniungi. Hanc enim, quia non solum ad bene dicendum sed etiam ad prudenter intellegenda scripta aliorum animos praepararet, non minus utilem esse in bonis scriptoribus legendis et in controversiis in omni genere litterarum iudicandis. Utramque igitur commune quoddam vinculum habere et quasi cognatione quadam inter se contineri; altera iudicandi, altera loquendi praecepta tradi. Itaque et dialecticam et rhetoricam artem non solum scholis publice habitis magno audientium assensu docuit, sed etiam libris cupide a multis petitis exposuit. In utraque arte autem prorsus veteres praeceptores, Aristotelem Ciceronem Quintilianum, secutus est; quorum praecepta apte disposita, perspicuo et eleganti sermone explicata, breviter et distincte descripta in artis formam redegit. Atque hic dicendum mihi est non in dialecticis solum, sed in universa philosophia Melanchthonem plurimum tribuisse Aristoteli eique per totam vitam adsidue operam

dedisse. Nam sicut olim adulescens id sibi tamquam rem praeclarissimam et vita sua dignam proposuerat, ut verba summi philosophi ab erroribus posteriore aetate admixtis liberata restitueret, ita postea integram Aristotelis doctrinam in omnibus philosophiae partibus aperire conatus est. Placuit autem ei Aristoteles prae reliquis philosophis cum propter rerum ubertatem et proprietatem sermonis tum propter egregiam disputandi rationem et, ut ipse dicebat, methodum. Nam hac potissimum omnes philosophos atque ipsum Platonem, laudabilem sane gravitate sententiarum et vi dicendi, sed liberius in disserendo evagantem eaque de causa discentium utilitati minus consulentem, longe superari ab Aristotele iudicabat. Methodum porro in omni genere litterarum rem unam omnium maxime necessariam esse dicebat; qua neglecta illas sophistarum artes, quae maximas turbas et in ecclesia et in re publica peperissent, denuo secuturas esse. Quare ab Aristotele, uno et solo methodi artifice, omnino viam et rationem omnibus, qui litteris operam dare cuperent, discendam esse. Neque mirum est quod eius rei eundem ducem esse voluit, a quo illi contra quos acerrime pugnabat profecti erant. Quid enim? in Christiana doctrina emendanda num illud agebant principes viri, ut novas res in lucem proferrent, annon vetera instituta et praecepta ab erroribus postea arbitrio hominum admixtis purgare studebant? Idem igitur Melanchthonem cum in reliquis studiis tum in Aristotelis philosophia ab ineptiis commentatorum vindicanda secutum esse dico. Atque haud scio an hanc primariam fuisse causam dicam, cur illa Melanchthonis et Lutheri amicitia in magna utriusque viri diversitate tam cito contracta fuerit et tam certa constiterit, quod uterque non

tam novarum rerum inventorem quam priscae disciplinae instauratorem se et esse et haberi volebat.

Sed ut redeat oratio unde digressa est, his artibus quas dixi bene institutos adulescentes ad altiores philosophiae partes duci volebat Melanchthon. De quibus quae ipse scripsit, initia doctrinae physicae, librum de anima, philosophiae moralis epitomen, ea ut iuventuti instituendae destinata erant, ita in praeceptis Graecorum philosophorum, in primis Aristotelis, comparandis, iudicandis, ad usum iuventutis accommodandis versantur. Et quoniam iam eó usque progressus est, ut communi philosophiae nomine omnem eruditionem ex antiquo tempore nobis traditam conplecteretur, ne historiam quidem rerum gestarum ab hac principe et domina litterarum alienam esse voluit. Sed ut taceam, quae ipse de hoc genere laudabiliter et ad iuventutis institutionem utiliter conposuit, antiquitatis studiis hanc quoque partem egregie illustravit. Nam et sermo Latinus exemplo veterum scriptorum emendatus et studium rerum praeteritarum auctum est, et critica arte, quae in rebus scribendis vel maxime necessaria est, semel ad aliquam partem adhibita non poterant non fabularum et superstitionis tenebrae, quae in hoc genere regnabant, removeri.

Iam vero qui in Graecorum et Romanorum doctrina omnis scientiae fundamenta, sicut dixi, posita esse putabat, quantum ipsorum veterum scriptorum lectioni tribuerit facile existimari potest. Tam orationes publice habitae quam libri ab ipso scripti pleni sunt laudis veterum scriptorum, pleni adhortationum, quibus illos adsidue legendos adulescentibus commendabat. Sapientissime autem praecepit paucos eosque optimos scriptores uni cuique eligendos esse, hos, priusquam ad reliquos propera-

retur, iterum atque iterum evolvendos et ita tractandos esse, ut penitus cognoscerentur. Et quo facilius omnibus aditus ad veteres scriptores pararetur, singulari studio optimos Graecorum et Romanorum poetas oratores historicos philosophos publice interpretabatur. Qua in re sanum iudicium et doctrinam viri admirari licet. Nam multi tum reconditam quandam sapientiam commenti allegoricam quam dicebant interpretationem sectabantur, qua sola perfectus vel sacrorum vel profanorum librorum intellectus pararetur: fuerunt etiam qui quadrifariam quemque locum interpretandum esse, ut plane intellegeretur, docerent. His igitur nugis contemptis Melanchthon unam et certam unius cuiusque loci sententiam esse docebat, quae lingua bene cognita facile perspici posset. Praeterea vero explicata et rerum traditarum praestantia et magnitudine animi, qua veteres scriptores excellunt, animos etiam legentium formari voluit. Ab his enim praeclarissima in omni genere virtutis exempla proposita, ab his quid pulchrum, quid verum, quid honestum esset multo rectius quam ab istis recentibus perversae doctrinae praeceptoribus expressum, ab his omnia, quae, quia ad perficiendam hominis indolem valent, nobilissimo humanitatis nomine appellamus, pulcherrime descripta esse.

Longum est dicere, quid haec saluberrima Melanchthonis praecepta ad institutionem scholarum emendandam valuerint. Nullum ea aetate gymnasium conditum, nullum instauratum est — condita autem et instaurata esse constat plurima —, in quo non huius consilium a principibus et civitatibus peteretur: amici et auditores eius in scholas eo auctore institutas vocati novam docendi rationem propagaverunt, leges ab ipso scholis

Saxonicis scriptae pro norma rectae disciplinae habebantur, libri eius, quos supra memoravi, per ducentos fere annos a praeceptoribus et discipulis tractabantur. Sed universitates etiam litterarías his rationibus in suam dignitatem restitutas esse adparet. Neque enim eo consilio olim conditas esse universitates litterarias constat, ut magistratus et ministri rerum publicarum instituerentur, neque ad hunc finem academicam institutionem dirigendam esse dicimus, ut scientia rerum ad usum vitae necessariarum tradatur; sed illud sequimur, ut adulescentes doctrinam perdiscant litterarum. Unde cum illud sequatur necessario, ut sollertes civitatibus ministri praebeantur, fructus hic est studiorum utilissimus, non finis. Ad hanc igitur rem quid tandem utilius parari poterat, quam quod a Melanchthone institutum esse demonstravi, ut orbe quodam liberalis eruditionis descripto hoc omnes, in quocumque genere litterarum versari vellent, erudirentur? Nam nihil acrius vel saepius vituperavit, quam illam prioris aetatis pravitatem, quod humanitatis studiis neglectis adulescentes ad theologiam vel iuris scientiam vel medicinam properarent, celeri cursu arrepturi quod ad usum vitae et ad quaestum faciendum conducere videretur. Lepide illos conparat cum stulto quodam homine, qui, cum struem lignorum in culinam auferre iussus esset, inepto sane instituto, ut difficiliorem laboris partem integris viribus conficeret, primum ea quae in infimo loco posita erant movere coepit. Quare diligenter adhortatus est adulescentes, ut certos gradus discendi tenerent. Quibus qui iusto ordine ad severiores disciplinas ascenderet, eum et certo illas perdiscere et animo liberaliter culto simul illud cognoscere, quem ad modum sua doctrina ad vitam hominum emen-

dandam uteretur. Praecipue vero theologiam, cui quantum malum adferrent rudes litterarum homines ipse et anabaptistarum insania et litigatorum quorundam pervicacia expertus erat, instructam esse volebat liberalibus artibus. Nam his tantum aditum ad fontes doctrinae aperiri, libertatem iudicii firmari, eam denique facultatem parari, quam theologis in primis petendam esse dicebat, ut societati generis humani consulere possent. Iuris autem scientiam, cui unam salutem a Romano iure paratam esse videbat, intellegi non posse sine accurata linguae Latinae et multiplice rerum Romanarum cognitione iterum iterumque praedicabat. Quin etiam medica ars et rerum naturalium scientia, ut tum res erant, quoniam in hoc quoque genere omnia scholasticorum praeceptis tenebantur, Graecis fontibus apertis egregie adiuta est. Ut paucis dicam, in omni genere litterarum egregia Melanchthonis opera effectum est, ut traditarum opinionum dominatione sublata acre rerum investigandarum studium, libertas iudicandi, amor litterarum incorruptus excitaretur. Et cum iam periculum esset, ne emendata religionis forma ad novam quandam scholasticorum artem delaberetur, antiquarum litterarum utilitas autem levitate hominum periret, Melanchthon Christianae doctrinae cum studiis humanitatis coniunctionem stabilivit perpetuam, quam nulla umquam vel temeritate vel prava religione diremptum iri confidimus.

Sed nimis inperfectam fore video laudationem viri non minus propter animi virtutes quam propter doctrinae copiam laudabilis eoque ad iuventutem erudiendam in primis apti, nisi de hac quoque parte pauca dixero. Multum sane ad hanc virtutem perficiendam contulit egregia indoles naturae, multum parentum et magistro-

rum pietas, multum sanctitas Christianae doctrinae, cui et puer sacris libris diligenter legendis se conmiserat et postea adsidue operam dedit; sed eum ingenii habitum, quem maxime in Melanchthone admiramur, nulla re magis conformatum esse dixerim, quam liberalium artium studio. Primum enim accurata Graeci et Latini sermonis cognitione maturo promptam illam iudicandi facultatem, quam vel in primis studio linguarum firmari constat, sibi paraverat, eamque ad omne litterarum genus summa cum utilitate transtulit. Deinde veteres scriptores optimos dicendi magistros esse existimans, ab his simplex et perspicuum et emendatum genus dicendi didicerat. Quod cum nullum esse posse videret, nisi plana rerum expositio accederet, cumque ardentissimo esset veritatis amore, summam in rebus quaerendis adhibebat severitatem. Nulla difficultate vel labore absterritus omnia tanta diligentia secum pervestigabat et excutiebat, ut plane illam rerum et verborum perspicuitatem, quae in veterum scriptorum libris elucet, imitatus esse videatur. Praeterea Graecorum et Romanorum disciplina institutus illam in disputando temperantiam et honestatem sibi paraverat, raram illis temporibus virtutem, quam ne in acerrimis quidem contentionibus umquam turpi contumelia contaminari passus est. Postremo ex eruditione cum modestia singulari coniuncta natus est placabilis hominis animus. Quem qui vel olim vituperaverunt vel nunc vituperant, quod aliquando communi temporum calamitate oppressus indignius obtemperare adversariis videbatur, ne illi non cogitaverunt, hac ipsa moderatione bonam causam, quam numquam deseruit, saepe conservatam esse, culpam vero siquam aliquando contraxit, eius rei magnam partem hominum inperitorum pertinaciae deberi, qua profli-

gari salutem aegre stabilitam magno cum dolore videbat. Nam sic statuebat, vera eruditione nullum esse certius vinculum ad concordiam hominum constituendam. Quam quo gravius perturbari contumeliosis controversiis sentiebat, eo acrius nitebatur ut ipse perfectae humanitatis imaginem referret. Summa in eo erat liberalitas, summa comitas, summa tam morum quam orationis probitas nullis fucata simulandi artificiis; sui commodi erat neglegens, publicae salutis studiosus, communi utilitati et studio litterarum, quod quidem ab illa segregari non posse iudicabat, unice serviebat, adeo ut vel domesticos dolores prae publicis contemneret, sibi nullam laboris mercedem expeteret, nisi quae ipsa laboris iucunditate contineretur.

Tantis igitur ingenii virtutibus praeditus cum plus quadraginta annos Vitebergae litteras doceret Melanchthon, ita principatum in illa universitate tenebat, ut sua auctoritate non quaesita, sed quae ultro sequebatur, omnem studiorum rationem regeret et clarissima luce cunctam patriam illustraret. Nam fama praeclarissimi viri per universam patriam celebrata, praesertim cum ipse publicis negotiis per diversissimas Germaniae partes districtus latissime auctoritatem suam propagaret, ex omnibus regionibus adulescentes ad eum audiendum magno numero confluxerunt. Duo milia auditorum uno tempore eius scholis interfuisse dicuntur. Quin etiam praeceptores multi per turbas rerum sacrarum domo pulsi in Vitebergensi universitate sibi sedem certissimam paratam esse videbant. Sic hoc duce in illa urbe tum primum illud effectum est, quod maxime patriis universitatibus propositum esse existimo eoque exemplo proposito paullatim reliquae imitatae sunt, ut ampla docentium et di-

scentium societate constituta non per unam civitatem, sed per universam patriam studia litterarum divulgarentur.

Quare, auditores, quia iam plane perspicitis ad nos quoque, ad nos, inquam, qui in docendis et discendis litteris versamur, laudem Melanchthonis pertinere, iustum debitumque ei tribuamus honorem. Nam haec est bene meritorum virorum laus, hic honor sempiternus et, ut vere dicam, inmortalitas, quod quae vivi perfecerunt non moriuntur cum ipsis, sed posteros etiam memoria rerum bene gestarum continuo excitant, ut horum se similes praestent eaque quae ab illis acceperunt conservent defendant augeant. Sed praecipue vos, commilitones, hoc incitamento laborum uti decet. Nam iuventuti erudiendae ille vitam adsignaverat, iuventutis studia et doctrina et exemplo suo adiuvari volebat. Huius igitur memoriam pio et grato animo colite, hoc exemplum imitamini, et siquae studiis vestris incommoda parata erunt, quae video futura esse multa, quodcumque litterarum genus attigeritis, hunc suspicite, qui nulla rerum difficultate, nulla temporum iniquitate, nulla hominum invidia defetigatus vel a studiis litterarum absterritus est. Denique illud tenete, quo ipse olim in laudatione Aristotelis, qua plane sua studia et suam sortem descripsisse mihi videtur, Vitebergenses adulescentes adhortatus est. Liceat enim mihi in fine orationis meae ipsius Melanchthonis verbis vos admonere. Quoniam, inquit, omnibus aetatibus sycophantae bellum gerunt cum veritate *ἄσπονδον*, erigamus animos exemplis praestantium virorum nec iniquitate hominum sinamus nos ab officio abduci. Dixi.



